



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

17. An si quis audiat Missam è fenestra domus sua impleat præceptum? Et an si quis audiat Missam stando extra Ecclesiam in eius atrio, seu Cœmetrio, satisfaciat præcepto? Ex p. 4. tr, 4. & Misc. res. ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

seruandi fidem. Ratio est, quia ego peto id quod valde bonum est, quodque ipse mihi licite potest præstare (potest enim contritionem concipere); ergo non teneor cum tanto meo incommodo abstinere à fructu spirituali, ne ipse peccet. Confirmatur, quia si ob incommodum temporale possum exigere iuramentum ab infideli per falsos Deos iuratorio, & petere mutuum ab usurario, quem scio usuras exacturum: multò magis ob tantum commodum spirituale possum petere sacramentum à ministro peccatore. Dices: Tu istum Ministrum scandalizas, nam das occasionem ruinæ. Respondeo, esse scandalum passivum, quod non teneor cum tanto meo incommodo vitare. Ita Lessius.

Sup. hoc in Ref. 3. not. vltimæ huius Ref.

3. Verùm Caietanus, Sotus, Sà, & alij absolute dicunt licitum esse, petere, aut recipere à proprio Parocho Sacramentum: dummodo non petatur, vt malè administrer. Probant, quia ex officio teneor dare Sacramentum: ergo subditus habet ius ab eo petendi, & non teneor euitare damnum spirituale Ministri sui, cum detrimento proprio, & carentia vtilitatis maximæ, quæ illi prouenit à Sacramentis, quocumque tempore recipiantur: Melius loquitur Lessius, & alij, scilicet, attendendum esse, an sit alius minister bonus, à quo sine magna incommoditate possum recipere illud Sacramentum: tunc enim charitas obligat ad petendum Sacramentum à bono ministro, vt sic euitetur peccatum mortale proximi Prælati, qui malè administraturus esset. Si verò non sit alius minister bonus, licitum est, secundum Henriquez, compellere Parochum in Festis præcipuis, & Iubilæo, vt conferat Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: immò addit Suarez, moraliter loquendo sufficere generalem vtilitatem, quæ ex Sacramentis percipitur, vt petere liceat Sacramentum à proprio Pastore, licet malè sit ministraturus, dummodo alius desit, vt dicebam: hæc enim est magna vtilitas spiritualis, propter quam permitti potest peccatum Parochi, cum sæpe peccata permittantur propter temporalia emolumenta. Deinde si prædictus malus Minister non sit proprius Parochus, aut Pastor, sit tamen præparatus ad Sacramenta ministranda, v. g. quia ipse se offert, vel in loco publico excipit Confessiones, & ministrat: Eucharistiam prædicti Authores sentiunt, licere ab illo petere, aut recipere Sacramentum, perinde ac si esset proprius Parochus: quia re vera id non est cooperari peccato ministri, aut illum inducere ad peccandum, cum ipse iam se velut paratus offerat ad illud peccatum committendum. Tunc autem non obligat charitas, vt non accedam ad Sacramentum, & amittam vtilitatem inde mihi prouenientem. Semper autem aduertendum est, debere suscipientem accedere ad alium ministrum bonum, si sine difficultate magna inueniatur; quamuis Sotus dicat, non esse peccatum mortale tunc accedere ad malum Ministrum, nisi fortè ad sit graue scandalum. Et hæc omnia docet Granadus *loc. cit.*

Sup. contento in hoc §. in tom. 1. tr. 1. in Ref. 18. §. 1. & in Ref. 20. & 21. & ibi in tr. 1. Ref. 44. & supra in fine §. 1. huius Ref. & lege etiã eius §. penul. & in tom. 7. tr. 5. Ref. 54. §. 2. ad med.

4. Dicendum est itaque absolute, quod quando Minister est indignus, seu impeditus, eo solum quia est in peccato mortali, possum ab eo petere Sacramentum, etiam si sciam ministraturum in peccato mortali, siue paratus sit ad illa ministranda, siue non; siue sit meus Parochus, siue non; modo ad sit necessitas, vel iusta, & rationabilis mea vtilitas, verbi gratia, impletio præcepti; vel mihi vtile est non multum differre usum illorum Sacramentorum: modò etiam non possum aliquem alium æquè mihi vtilem inuenire. Vide Præpositum in 3. part. quæst. 64. art. 6. dub. 2. & Coninch, dub. 2. Suarez disputat. 28. sect. 1. Caspensem in *Curs. Theolog. tom. 2. tractat. 21. disput. 5. sect. 4.* Castrum Palaum tom. 4. tractat. 18.

puell. vltim. num. 11. Trullench. de Sacrament. lib. 1. cap. 3. dub. 4. & alios penes ipsos.

RESOL. XVII.

An qui audit Missam à fenestra domus sue implet præceptum?

Et an si quis audiat Missam stando extra Ecclesiam in eius atrio, seu Cœmeterio, satisfaciat præcepto? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 154.

§. 1. **H**ic Panormi ad sunt domus à regione Diœcesis scholarum piarum, ex quarum fenestris quætuor Missam audire, Queritur an satisfaciat præcepto? De hoc casu olim interrogatus fui ab excellentissimo Principe Domino meo amantissimo Marchione Hieracensi; & negatiuè respondi, nullo authoritate Filliucij tom. 1. tract. 5. cap. 7. n. 209. & ibi ait: Qui domi è regione, verbi gratia, fenestris, vel portæ Ecclesiæ Missam audit, vel videt, non dicitur moraliter præsens, ideo nec satisfaciat. Sic ille. Et hanc sententiam à fortiori docet Laurentius de Prætel. in addit. ad dub. Regul. ver. Indulgentiæ, n. 20.

2. Non desinam tamen hic adnotare, quod in Gordonum docere, quod si quis audiat Missam stando extra Ecclesiam, satisfaciat præcepto; hæc enim ait in *Theologia Morali, tom. 2. lib. 6. quæst. 7. cap. 2. §. 3. n. 12.* Debet auditurus Missam esse corpore præsens, ita nempe, vt possit vtrunque cogitare quid agat, & in qua Missæ parte veritèr Sacerdos celebrans, & dummodo hæc seruetur, satis est, etiam si sit post Altare, vel extra Ecclesiam, sic enim moraliter modo, immò & physice dici potest de numero coram, qui in Canone dicuntur circumstantes. Ita ille, sed in casu nostro non est recedendum à negatiua sententia, nec doctrina Gordoni applicari potest, quia explicandus est in casu quo quis esset extra Ecclesiam in eius atrio, seu cœmeterio.

RESOL. XVIII.

An qui audiat Missam à fenestra domus sue, adimplet præceptum?

Et docetur existentes post parietem Ecclesiæ, & Missam audientes satisfacere præcepto.

Et quamuis Missa dicatur in Atrio valde remoti, vel alta Turri, & esset priuata, an verò dicatur præsens illi, ac prouide satisfacere præcepto, quamuis nec Sacerdotem videat, nec audiat? Ex p. 10. tr. 4. & Misc. 4. Ref. 49, alias 47.

§. 1. **N**egatiuam sententiam olim docuit Filliucio, Trullench, Elcobar, & alij, non puto tamen improbabilem affirmatiuam, quam tuetur Cardinalis Lugo, dummodo via publica non sit tam lata. Et ipse exemplificat suam opinionem in casu quo via non sit plusquam triginta passus. Sed magis amplè loquitur Dicastillo de Sacrament. tom. 1. tractat. 5. disput. 5. dub. 4. num. 59. vbi sic ait: Aduertendum est aliquos existimare, non satisfaci præcepto, si quis audiat Missam à fenestra domus, quando celebratur in Ecclesia è regione excellenti. Ita Filliucius, tom. 1. tractat. 5. cap. 7. num. 209. & ex illo Diana 4. part. tract. 4. resoluit. 154. vbi refert Portellum. Rationem reddunt, quia ille non videt, nec audit Sacerdotem, nec Sacerdotem videt, nec audit. Verùm ego non videri dicatur moraliter præsens, Verùm ego non videri quid deficiat illi præsentia, vt sit moralis. Ille alij dicunt, quod potest dare testimonium oculatum, quod